

concessis, confirmatis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores presentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliis in suo robore permanentibus, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum die 20. Augusti 1642. An. XX.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die vigesima Augusti 1642. Pontificatus nostri Anno Vigesimo.

DCCXVIII.

Ex Regest. in Secret. Breve.

Irritatio Pactio[n]um factarum occasione Coadjutorie Ecclesie Ratisbonensis.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Coadjutor Ratisbonensis nonnullis cum Capitolo pacifice, ut eius consensus obtineat.

§. 1. **C**um Nos prope diem Venerabilem Fratrem Franciscum Guilielmum Episcopum Osnaburgensem, Mindensem, & Verdenensem, Fratri Alberto Episcopo Ratisbonensi Coadjutorem perpetuum, & irrevocabilem in regimine, & administratione Ecclesie Ratisbonensis, cum futura in ea successione, attento consensu eiusdem Alberti Episcopi, ac dilectorum filiorum Capituli dicte Ecclesie Ratisbonensis, prestiti, & per Nos ex voto Congregationis Venerabilium Fratrum nostrorum Sancte Romanae Ecclesie Cardinalium rebus concistorialibus prepositorum, quibus negocium Coadjutorie huiusmodi commissimus, admisso, auctoritate apostolica constituturæ, & deputare de simili voto intendamus, prout in nostris desuper sub plumbo expeditis literis latius explicabitur. Sicut autem Nobis innotuit, occasione constitutionis, & deputationis eiusdem Francisci Guilielmi in Coadjutorem huiusmodi, seu consensus dicti Capituli ad id, ut præfertur, prestiti, quedam capitulationes inter ipsos Capitulares, seu cum eodem Francisco Guilielmo factæ, & ab eo subscriptæ, & juratæ fuerint.

Pacta quæcumque irritat Urbanus.

§. 2. Hinc est, quod Nos, sine quorum auctoritate nihil omnino in similibus negociis pacifici fas est, ne ex capitulationibus huiusmodi, licet ob licentiæ apostolicæ defectum ipso iure nullis, & invalidis, aliud quod cuiquam jus acquisitum, aut dicte Ecclesie, illiusque Prasuli, seu Coadjutori, & Capitulo quaecumque gravamen illatum, jurisdictionique, & libertati ecclesiasticæ quoquo modo prejudicatum, fuisse, esse, & fore unquam prætendi, di-

ci, vel censeri, & ne quovis temporis cursu, aut ex quacumque alia, quantumlibet juridica causa prædictas capitulationes fuisse per Nos, & Sedem Apostolicam approbatas allegari, & beneplacitum apostolicum desuper accessisse presumi unquam possit, pro pastorali nostra sollicitudine, providere volentes, ac earundem capitulationum tenores, etiam veriores, presentibus pro plene expressis, et de verbo ad verbum insertis habentes, Motu proprio, ac ex certa scientia, maturaque deliberatione nostris, deque apostolica potestatis plenitudine, ex voto etiam predictæ Congregationis, omnes, et singulas capitulationes prædictas nullas, et prorsus invalidas, nulliusque roboris, et momenti fuisse, esse, et semper fore, adeo ut nullum omnino sortiri possint, aut debeant effectum, eque ac si conceptæ, factæ, initæ, aut juratæ numquam fuissent, tenore presentium declaramus, illasque pro non factas haberi volumus, approbationemque nostram, et beneplacitum apostolicum, quoad ipsas capitulationes denegamus, et propterea consensum a Capitulo predicto deputationi Coadjutoris huiusmodi cum futura successione, ut præfertur, prestitum predicto Francisco Guilielmo suffragari in omnibus, & per omnia, perinde ac si libere, & non conditionaliter, ac non interpositis capitulationibus huiusmodi fuisset adhibitus;

§. 3. Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sancte Romanae Ecclesie Cardinales etiam de latere Legatos, Sedisque prædictæ Nuncios, & quovis alios quacumque auctoritate fungentes, nunc, & pro tempore existentes, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, et definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac apostolicis, & in universalibus, provincialibusque, & synodalibus Conciliis editis, generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, ac quatenus foret opus, etiam regula nostra de non tollendo iure quæsito, necnon dicte Ecclesie Ratisbonensis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro sufficienti eorundem derogatione de iis specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu alia quæcvis expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium tenores presentibus pro plene, ac sufficienter expressis habentes, illis aliis

Sicque præcipit in quolibet subseculo iudicari.

Derogat obstantibus.

in

in suo robore permanentibus, ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum die 20. Augusti 1642. An. XX.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 20. Augusti 1642. Pontificatus nostri Anno XX.

DCCXIX.

Ex Regest. in Secret. Breve.

Confirmatio Decreti Sacre Congregationis Rituum, quo decernitur Prothonotarios Apostolicos non participantes præcedere debere Canonicos Ecclesie Cathedralis, quando dicti Canonici collegialiter non incedunt.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Refer. Decretum Congreg. Rituum, de quo in Rubric.

§. 1. **C**um, sicut accepimus, Venerabiles Fratres nostri S. R. E. Cardinales Sacris Ritibus Praspositi aliis censuerint nostros, & Apostolicæ Sedis Notarios, Prothonotarios Apostolicos titulares, seu non participantes nuncupatos præcedere debere Canonicos Ecclesie Cathedralis, quando dicti Canonici collegialiter non incedunt, prout in eorundem Cardinalium Decreto desuper emanato, cujus tenorem presentibus pro plene, & sufficienter expressio haberi volumus uberiori continetur.

Illudque confirmat.

§. 2. Idcirco Nos Decretum huiusmodi, ut par est, servari volentes, illud apostolica auctoritate, tenore presentium, confirmamus, & approbamus, eique in violabilis apostolicæ firmitatis robur adijcimus, ac omnes, & singulos tam juris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus.

Clausulas adde.

§. 3. Decernentes Decretum huiusmodi, necnon presentes Literas valida, firma, & efficacia existere, & fore, ac ab omnibus, ad quos spectat, & spectabit in futurum inviolabiliter observari, dictisque Notariis, Prothonotariis nuncupatis plenissime suffragari; Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam, causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariisque derogat.

§. 4. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, & synodalibus Conciliis editis, generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon quarumvis Ecclesiarum, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum omnium,

& singulorum tenores, presentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis aliis in suo robore permanentibus, ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum die 5. Septemb. 1642. An. XX.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die quinta Septembris 1642. Pontificatus nostri Anno XX.

DCCXX.

Pro observacione Festorum.

Festa observari jussit, festisque diebus mercatus, profanasque negociationes feri prohibuit Pius V. Const. IX. Cum primum, tom. 4. par. 2. fol. 284.

URBANUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Universa per Orbem novit Ecclesia, Romani Pontificis suprema incumbere sollicitudini Dominicum Gregem ad æternam dirigere salutem, & apostolicæ sic explicare præcepta, ut fideles in viam mandatorum currere, & ad beatitudinem valeant feliciter pervenire.

Exordium.

§. 1. Plurimorum siquidem Venerabilium Fratrum nostrorum Archiepiscoporum, & Episcoporum per varias Regiones constitutorum relatione ad Nos pervenit, festorum multitudinem per singulas eorum Dioceses, atque Provincias adeo crevisse devotione, atque consuetudine nova in dies introducente, ut multi jam dubitare videantur, quam ex præcepto, quæve ex libera cujusque voluntate sint servanda, pietatis fervore ob nimiam eorundem numerositatem tepescere. Quinimo & clamor Pauperum frequens ascendit ad Nos eandem multitudinem, ob quotidiani victus laboribus suis comparandi necessitatem, sibi valde damnosam conquerentium, & quod summopere dolendum est, magno cum animi nostri mœrore didicimus, tanta sæpe sæpius machinatu inimicum in Sanctos, ut ipsa multitudine, nõ ad ædificationem, & ad laudandum in Ecclesiis Deum populi utantur, sed ad otia, vanitates, & vitia, frequenter abuti non formident, itaut quæ ad glorificandum Divinum Numen sunt primitivè instituta, temporis decursu inimicus homo corruperit, & in magnam illius offensionem, gravemque jacturam, converterit animarum. Quamobrem dicti Ven. Fratres Archiepiscopi, & Episcopi Nobis fecerunt humiliter supplicari, ut in prædictis de Apostolicæ potestatis plenitudine congruam aliquam iniremus rationem.

Causa hujus Consist.

§. 2. Nos itaque volentes ex debito pastoralis officii providere, & Sanctificationis festorum certum deinceps firmare præceptum,

Eos tantum die, et pro Festis ex præcepto colendos esse statuit Pontifex, qui hic recensentur.

ceptum, antiquam Ecclesie in hoc consuetudinem sectantes, habitis prius frequentibus per doctos, piosque Viros, quos ad hac specialiter deputavimus, consultationibus, ut rei videtur gravitas postulare, Motu proprio, & ex certa scientia, meaque deliberatione nostris, necnon de predicta apostolica plenitudine potestatis, hac perpetuo valitura Constitutione, de voto etiam Ven. Fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Sacris Ritibus Praepositorum, apostolica auctoritate decernimus, & declaramus, infra scriptos dumtaxat dies pro Festis ex precepto colendos esse, quos nempe vel ab initio veneranda sacravit antiquitas, vel universalis Ecclesiae probavit consuetudo, vel omnium gentium unanimis pietas veneratur; Dominicos scilicet dies totius Anni, Nativitatis D. N. Jesu Christi, Circumcisionis, Epiphaniae, Resurrectionis cum duobus sequentibus feriis, Ascensionis, Pentecostes cum duobus pariter sequentibus feriis, Sanctissimae Trinitatis, Solemnitatis Corporis Christi, & Inventionis Sanctae Crucis, necnon festivitatum Purificationis, Annunciationis, Assumptionis, & Nativitatis Deiparae Virginis, Dedicationis S. Michaelis Archangeli, Nativitatis S. Joannis Baptistae, SS. Petri, & Pauli, S. Andreae, S. Jacobi, S. Joannis, S. Thomae, SS. Philippi, & Jacobi, S. Bartholomaei, S. Matthaei, SS. Simonis, & Judae, & Sancti Matthiae Christi Domini Apostolorum, item S. Stephani Protomartyris, SS. Innocentium, S. Laurentii Martyris, S. Sylvestri Papae, & Confessoris, S. Josephi etiam Confessoris, & S. Annae Deiparae respective Sponsae, ac Genitricis, Solemnitatis omnium SS. atque unius ex principalioribus Patronis in quocumque Regno, sive Provincia, & alterius pariter principalioris in quacumque Civitate, Oppido, vel Pago, ubi hos Patronos haberi, & venerari congerit.

Ad reliquorum vero dierum observantiam Christi fideles non teneri.

§.3. Ad reliquorum vero dierum observantiam, quos haecenus sive in universa Ecclesia, sive in quavis Natione, aut Regno, Provincia, Diocesi, aut loco quomodocumque, sive ex precepto, sive ex consuetudine, sive ex devotione Christi fideles tamquam festivos celebrarunt, nequaquam ex precepto ipsos teneri dicta auctoritate tenore praesentium perpetuo etiam decernimus, & declaramus. Ne autem dies festos a locorum Ordinariis nimia aliquorum facilitate, aut Populorum importunitate deinceps iterum multiplicari contingat, eisdem Ordinariis in Domino monemus, ut ad ecclesiasticam ubique servandam aequalitatem de cetero perpetuis futuris temporibus ab indictione sub precepto novorum festorum studeant abstinere. Ut vero ea, quae superius expressa sunt, ferventiori, quae eorum veneratione, ac devotione colantur, eisdem Ordinariis antiquiorum Canonum observantiam ad memoriam revocamus in concedendis licentis laborandi diebus

festis: Quae quidem licentiae non aliter, quam ad formam praedictorum Canonum, ut praemittitur, concedendae, non nisi gratis, libere, & sine ullo proorsu pretio, aut pacto, directe, vel indirecte concedantur, sub poenis etiam gravioribus nostro, Successorumque nostrorum arbitrio infligendis. Non intendimus tamen per hanc nostram Constitutionem dies feriatos circa Judicialia in aliquo immutare, quos ad hunc effectum relinquimus in eisdem statu, & terminis, in quibus erant ante ejusdem promulgationem.

§.4. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae, & sub indignationis nostrae poena, nunc, & pro tempore existentis nostro in Urbe, ejusque districtu Vicario in spiritualibus Generali, ac universis, & singulis Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, aliisque Praelatis, ac cujuscumque generis locorum Ordinariis, etsi Cardinalatus honore fulgeant, ut has praesentes literas, omniaque, & singula in eis contenta, singuli videlicet in eorum respective Diocelibus publicent, & ab omnibus eorum subditis ad unguem observari faciant.

§.5. Non obstantibus quibusvis Apostolicis, etiam in Provincialibus, Synodalibus, & universalibus Conciliis editis, & edendis specialibus, vel generalibus Constitutionibus, & Ordinationibus, ac singularum Provincialium, Civitatum, Oppidorum, & locorum, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus longissimo tempore praescriptis, ac observatis, etiam immemorialibus, privilegiis quoque, indultis, Decretis, Declarationibus, & Literis Apostolicis, aliisque gratis, tam per ipsos Romanos Pontifices Praedecessor. nostros, ac per Nos etiam motu simili, etiam concistorialiter, quam per Ordinarios locorum, cujuscumque, qualitatis, etiam Cardinalatus honore, ut praefertur, fulgentes, Legatos etiam de late, & Sedis Apostolicae Nuncios, ipsi Provincias, Civitates, Oppidis, & locis, aliisque quibuscumque, etiam quantumvis privilegiatis personis, etiam Imperatoris, Regum, Reginarum, Rerumpublicarum, Ducum, aut aliorum Principum contemplatione, vel intuitu, ac alias in contrarium forsitan, quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etsi alias pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata inserti forent, eisdem praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus harum serie specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque derogat.

Mandat Praesentes publicari, & ad unguem observari

Contrariis quibuscumque derogat.

cate-

§.6. Volumus autem, ut earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, & manu Notarii publici subscriptis, ac sigillo personae alicujus in dignitate ecclesiastica constitutae munitis eadem prorsus fides ubique locorum, tam in iudicio, quam extra illud adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensa.

§.7. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostrorum Decretorum, Declarationum, Monitionis, Intentionis, Mandati, Derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se noverit incursum.

Datum Romae apud S. Petrum Anno Incarnat. Dominicae 1642. Idibus Septembris, Pontificatus nostri Anno XX.

DCCXXI.

Ex Regest. in Secret. Brev. Committit Episcopis Sylvanestren., & Redonen. una cum Definitore Generali Fratrum Reformatorum Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia erectionem Custodiae pro dictis Reformatis in Gallia cum assignatione Conventuum.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

§.1. CUM, sicut accepimus, visitatio Provinciae Turoniae Fratrum Minorum Ordinis Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum per dilectos filios Michaellem Samson, & Bonaventuram Philippon, Ordinis praedicti Praedecessores juxta formam a Nobis alias praescriptam peracta fuerit, & in visitatione hujusmodi Michael, & Bonaventura praedicti plusquam centum, & viginti Fratrum ejusdem Ordinis declarationes receperint, qui Reformationem amplecti, & in exacta Regula Sancti Francisci Observantia vivere, & mori desiderant.

§.2. Hinc est, quod Nos, ut Fratres praedicti in suo laudabili proposito confoveri, illudque executioni demandare valeant, pro pastoralis nostrae sollicitudine providere volentes, motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque apostolice potestatis plenitudine Venerabilibus Fratribus Sylvanestren., ac Redonen. Episcopis per praesentes committimus, & mandamus, ut ipsi, vel alter eorum cum dilecto filio Ignatio Legault Ordinis praedicti Definitore Generali custodiam pro Fratribus Reformatis, & Reformandis hujusmodi ad praescriptum Constitutionis fel. rec. Clementis Papae Octavi Praedecessoris nostri, alias ea super re edite, auctoritate nostra erigant, illique

Causae danda Commissionis.

Commissio de qua in Rubric.

Conventus Redonen., ac Veneten., necnon Dinamen., & Guingant Kimpercorrentine Bourgneus vulgo nuncupat. dicti Ordinis in Britannia existentes, & alios jam reformatos, qui tamen pro Reformatis, & Reformandis hujusmodi sufficienter, in quibus omnes, qui Reformationem hujusmodi amplecti voluerint, recipiantur, assignent, disceque Custodie Custodem, & alios Superiores, & Officiales pro hac prima vice constituent. Nos enim illis ad id necessariam, & quomodolibet opportunitam facultatem concedimus.

§.3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis, & Provinciae hujusmodi, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permanens ad praemissorum effectum, specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Majoram, sub Annulo Piscatoris, die vigesimatertia Septembris 1642. Pontificatus nostri Anno XX.

DCCXXII.

Declarat Inquisitores Officii Inquisitionis Majoricen. non posse procedere contra Parochiales Ecclesiarum Rectores, & reliquos Sacerdotes, Curatos, & Simplices Ecclesiasticos Minoricae, & Majoricae Insularum, nisi pro causis fidei, vel ab eis dependentibus.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

§.1. ALIAS Nos de Ven. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium in universa Republica Christiana adversus haereticam pravitatem generalium Inquisitorum, a Sede Apostolica specialiter deputatorum consilio, Inquisitores Officii Inquisitionis Majoricen. non posse procedere contra Canonicos Ecclesiae Majoricen. nisi pro causis fidei, vel dependentibus ab eis apostolica auctoritate determinavimus, & declaramus, & alias prout in nostris in simili forma Brevis desuper sub die ultima Martii proxime praeteriti expeditis literis, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus uberius continetur.

§.2. Cum autem sicut dilecti filii Cle- rus, & singuli ecclesiastici seculares Majoricen. Diocesis Nobis nuper exponi fecerunt, indecorum sit, ut Sacerdotes, & reliqui Altaris Ministri loci Ordinario subiecti, & ab omni seculari potestate exempti,

Obstantium derogatio.

Datum die 23. Septembris 1642. An. XX.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Decretum aliter ab Urbano latum favore Capituli Majorice.

Infantis Cleri & ecclesiasticorum.

pti in causis, quantumvis levis ad fidem minime pertinentibus, & ab ea nullatenus dependentibus a Judicibus delegatis in Tribunali dicti Officii Inquisitionis Majoricen. ad Judicium evocentur, ac alias in præmissis diversimode molestantur; Nobis propterea idem Clerus, & Ecclesiastici humiliter supplicari fecerunt, ut sibi desuper opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

D. Sum Decretum ad alios ecclesiasticos extenditur.

§. 3. Nos igitur eisdem Clerum, & Ecclesiasticos specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodate existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum ferie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de eorumdem Cardinalium consilio, determinationem, & declarationem, litterasque nostras præfatas observari etiam cum Parochialium Ecclesiarum Rectoribus, & reliquis Sacerdotibus Curatis, & aliis simplicibus Ecclesiasticis Minoricæ, & Majoricæ Insularum; apostolica auctoritate, tenore præsentium pariter determinamus.

Clausula.

§. 4. Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si fecus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Executores deputati.

§. 5. Quocirca Ven. Fratri Episcopo Majoricen, & dilectis filiis Decano, & Thesaurario Ecclesiæ Majoricen. per præfentes committimus, & mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios præfentes literas, & in eis contenta quæcumque, ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte ipsorum Cleri, & Ecclesiasticorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes faciant auctoritate nostra præfentes literas hujusmodi debitæ executioni demandari, & inviolabiliter observari, ipsosque Clerum, & Ecclesiasticos præfatarum Minoricæ, & Majoricæ Insularum, contentorum in eisdem nostris literis, aliorumque præmissorum commodo, & effectu pacifice frui, & gaudere, non permitentes eos desuper ab ipsis Inquisitoribus Majoricen., & quibusvis aliis quavis auctoritate fungentibus, quovis prætextu quomodolibet indebite molestari, contradicere quoscumque, & præmissis non parentes, per censuras, & pœnas ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia appellatione postposita compescendo, in vocato, etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Contrarium derogatio.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac qua-

tenus opus sit Ecclesiarum; & Officii Inquisitionis Majoricen. hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indulgentiis, & Literis Apostolicis in contrarium, præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliis in suo robore permanentibus ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 24. Septembris 1642. Pontificatus nostri Anno XX.

Datum die 24. Septembris 1642. An. XX.

DCCXIII.

Irritatio actorum omnium, quæ in præjudicium Ecclesiæ Papien. Sede Episcopali vacante per Regios Ministros gesta sunt.

In Regest. in Secret. Seru.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. Cum annis præteritis Sede Episcopali Papien. Nobis, & Apostolicæ Sedi immediate subiecta vacante, Oeconomus Regius, ac alii Ministri Regii Status Mediolani multa inconvenientia, & scandala, ut Nobis pro parte dilectorum filiorum Capituli, & Canonicorum, ac Vicarii Capitularis Ecclesiæ Papien., ut præfertur, vacantis, aliarumque personarum ecclesiasticarum Civitatis Papien. expostitum fuit, occasione præfati Oeconomatus, & onerum Ecclesiis, & personis ecclesiasticis de facto impostorum, & imponendorum timore Dei postposito perpetraverint, actusque etiam publicos in præjudicium immunitatis, & libertatis ecclesiasticæ, & etiam in scriptis fecerint, & propterea Capitulum, & Canonici, ac Vicarius, & personæ hujusmodi ad Nos super præmissis recursum habuerint.

Ministri Regii nonnulli in præjudicium ecclesiæ Papien. & immunitatis ecclesiasticæ attentant.

§. 2. Nos, ad quos pro pastoralis officii nostri debito immunitatis, & libertatis ecclesiasticæ tuitio, & defensio pertinet, negotium hujusmodi diligenter examinandum, & discutendum Ven. Fratri nostro Marcello Episcopo Ostien. Lantes, & dilectis filiis nostris Joanni Baptista Sancti Eusebii Pamphilio, ac Joanni Baptista Sancti Sylvestri in Campo Martio Titulorum, Presbyteris Palotto, necnon Francisco S. Laurentii in Damaso Diac. Card. Barberino, respectively nuncupatis S. R. E. Vicecancellario, nostroque secundum Carnem ex Fratre Germano Nepoti ejusdem S. R. E. Cardinalibus, ac Magistro Francisco Paulutio in utraque Signatura nostra Referendario commisimus.

Urbanus rei examen nonnullis Cardinalibus deleg.

§. 3. Qui hac super re sæpius congregati, eaque accurate examinata, & discussa, & audi-

& auditis pluries partibus, tam ecclesiasticorum, quam laicorum, nedum super negotio principali, sed etiam super incidentibus, & emergentibus quibuscumque, in hærendoque declarationibus per eos alias in eadem causa factis fecerunt Decretum tenoris sequentis videlicet: Die 16. Julii 1642. Sacra Congregatio inhærendo declarationibus a se aliis in hac causa factis, mature denuo, Processibus, Juribus, Bannimentis, Edictis, & aliis scripturis exhibitis, declaravit, & declarat, omnes, & singulos actus gestos Sede Episcopali Papien. vacante a Generali Oeconomio Caimo, & a Ministris, & Officialibus Regiis, seu a Deputatis ab eis, & ab Officialibus, & Ministris Laicis Civitatis Papien. contra Jurisdictionem temporalem, & spirituales Capituli Ecclesiæ Cathedralis ejusdem Civitatis Papien. seu Generalis Vicarii Capitularis, vel aliorum Vicariorum, & personarum, & Ministrorum, etiam ecclesiasticorum fuisse, & esse prorsus invalidos, irritos, nulliusque momenti, & respective hujusmodi actus gestos per dictum Oeconomum generalem esse contra dispositionem Sacri Concilii Tridentini, ab aliis vero supranominatis gestos continere manifestam violationem jurisdictionis, Immunitatis, & libertatis ecclesiasticæ; ac propterea omnes dictos actus, tamquam invalidos ab omnibus in judicio, & extra perpetuo haberi debere, nullumque prorsus, ex illis præjudicium eisdem jurisdictioni Capituli, Immunitati, & libertati, Ministris, personis ecclesiasticis, ac bonis supradictis respectively potuisse, nec posse, quoquo modo resultare, & ad censuras propterea fulminatas occasione supradictorum fuisse bene processum; Et ita declaravit, & declarat, non obstantibus quibuscumque in contrarium &c. Et non solum præmissis, sed etiam alio omni meliori modo; A. Cardinalis Lantes, die 5. Augusti 1642. Sanctissimus Dominus Noster perfectio suprad. Decreto, approbavit, & iussit desuper expediri Breve annullativum, cum clausulis tamen, ut non præjudicaretur Constitutioni generali per S. Sanctitatem editæ, sed jura juris, cautelam cautelis addendo &c.

Irritatio Pontificæ.

§. 4. Ne autem ex dictis actibus aliquod jurisdictioni, immunitati, libertati, ministris, personis, & bonis prædictis præjudicium illatum fuisse, vel esse, aut fore pretendi possit, quantum cum Domino possumus providere volentes, ac omnium, & singulorum actuum, processuum, jurium, bannimentorum, edictorum, & scripturarum prædictorum, ac inde sequutorum quorumcumque etiam graviorum, & atrocissimorum, aliorumque hic forsitan exprimentorum, vel inferendorum tenores, etiam veriores, causas, & occasiones præfentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine Decretum prædictum apostolica

Bull. Rom. Tom. VI. Par. II.

auctoritate tenore præsentium perpetuo confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiciamus, ac omnes, & singulos, tam juris, quam facti defectus, etiam quantumvis substantiales, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, & licet quæcumque jurisdictioni, immunitati, & libertati, ac personis, & bonis ecclesiasticis quibuslibet præjudicialia per generalem nostram Constitutionem die 5. Junii 1641. editam, & publicatam nulla, & irrita declaraverimus, & quatenus foret opus revocaverimus, & proinde actus prædicti ante eandem Constitutionem facti per illam nulli jam declarati, & revocati fuerint, nihilominus, ad abundantiore cautelam juraque juris accumulare volentes, citra ullum tamen ejusdem Constitutionis præjudicium earundem tenore præsentium omnes, & singulos actus, & excessus, ut præfertur, ac alias quomodolibet gestos, & respective perpetratos, Sede Episcopali Papien. vacante, tam a dicto Generali Oeconomio, quam ab Officialibus, & Ministris Regiis quibuscumque, seu a deputatis ab eis, vel altero eorum, & ab Officialibus, & Ministris Laicis, etiam dictæ Civitatis Papien. cujuscumque status, gradus, conditionis, qualitatis, præminentie, & dignitatis existentibus, etiam speciali nota, & expressione dignis contra jurisdictionem spirituales, & temporales Capituli, seu Vicarii Capitularis, vel aliorum Vicariorum, & personarum, ac Ministrorum ecclesiasticorum prædictorum, necnon contra personas, & bona, tam mensæ episcopalis, quam eorumdem, ac aliorum ecclesiasticorum, ac in, & super personis, & bonis, ac juribus ecclesiasticis fuisse, & esse ipso jure nullos, & invalidos, ac nullius plane roboris, vel momenti, indebitosque, & illicitos, ac violentos, & de facto præsumptos, nullumque præjudicium eisdem Capitulo, Vicariis, Ministris, personis, & bonis ecclesiasticis intulisse, nec inferre, neque ullum statum fecisse, aut facere, nec aliquod omnino jus aut titulum, vel possessionem, vel quasi tribuisse, vel tribuere unquam posse, in favorem prædictorum Oeconomii, & Ministrorum, Officialiumque Regiorum, & Civitatis prædictæ, ac quorumvis aliorum cujuscumque status, gradus, conditionis, qualitatis, præminentie, & dignitatis existentium, & individua expressione dignorum declaramus, ac quatenus opus sit, eisdem actus cum omnibus, & singulis inde sequentibus annullamus, irritamus, cassamus, damnamus, viribusque, & effectu evacuamus.

§. 5. Decernentes præfentes literas, ac in eis contenta quæcumque, nullo unquam tempore de subreptionis, obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis nostræ, aut alio quantumlibet magno, inexcogitato, & substantiali defectu, aut ex quovis alio capite, a jure facto, aut statuto, vel consuetudine resultante, ac quocumque.

Clausulas ad id.

cumque alio colore, vel pretextu, etiam in corpore juris clauso, seu ex quantumvis juxta, rationabili, & privilegiata, etiam tali, que ad effectum validitatis premissorum necessario exprimenda foret, aut quod de voluntate nostra hujusmodi, & aliis superius expressis, seu relatis nihil ullibi appareret, seu aliter probari posset, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, aut adversus illa restitutionis in integrum, aperiitionis oris, vel aliquid quodcumque juris, facti, vel gratie remedium impetrari, vel etiam Motu simili concessio quempiam in iudicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse, sed eadem presentes cum omnibus, & singulis in eis contentis semper, & perpetuo validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere; Sicque, & non aliter in premissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, & quoscumque alios quavis auctoritate fungentes nunc, & pro tempore existentes, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, interpretari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogaturque contrariis.

§. 6. Non obstantibus premissis, ac apostolicis, & in Conciliis Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, & quatenus opus sit, nostra de non tollendo jure quaesito, & aliis Cancellaria Apostolica Regulis, necnon dicta Civitatis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis (Economico, Ministris, Laicis, & aliis predictis, ceterisque quibuslibet, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis Decretis in contrarium premissorum, etiam motu simili, & concistorialiter, & aliis quomodolibet emanatis, concessis, confirmatis, & pluries innovatis, quatenus talia extarent. Quibus omnibus, & singulis etiam pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio habenda, aut quavis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita inserti essent, presentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis, & formam in illis traditam pro servata habentes, illis aliis in suo robore permansuris ad premissorum effectum specialiter, &

expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Anulo Piscatoris die 22. Octobris 1642. Pontificatus nostri Anno XX.

Datum die 22. Octob. 1642. An. XX.

DCCXXIV.

Prohibitio ne Fratres Laici, seu Conversi Ordinis Fratrum Minorum strictioris Observantiae S. Francisci, praecedant Clericos professos sub poena excommunicationis.

De hujusmodi materia precedentia, vide notata ad Constit. 460. Inter gravissimas, ut sup. fol. 2. & ad Const. 730. Alias. ib. fol. 352.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. CUM sicut dilectus filius Procurator Generalis Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia Reformatorum nuncupatorum Nobis nuper exponi fecit, ex quo fratres Laici, seu Conversi ejusdem Ordinis indebitè praetenderint semper, & praetendant se in omnibus, & singulis functionibus, tam publicis, quam privatis Fratres Clericos dicti Ordinis praecedere debere, gravissima perturbaciones, lites, & contentiones, aliaque incommoda orta fuerint, & in dies oriantur, non sine maximo personarum secularium scandalo, & offensione; & propterea idem Procurator Generalis per Nos in premissis opportune provideri desideret.

Motiva.

Prohibet prout in Rub.

§. 2. Hinc est, quod Nos eorumdem Fratrum, quos Deo in humilitatis spiritu juxta suam vocationem servare convenit, tranquillitati consulere, & ne ob praemissa mutua inter eos charitatis ardor interpeccat, providere pro pastoralis cura nostra volentes; Motu proprio, ac ex certa scientia nostris, ne de cetero ulli dicti Ordinis Fratres Laici, seu Conversi quovis sub pretextu, quaesito colore, vel ingenio, etiam ratione antiquioris suae ad habitum regularem dicti Ordinis receptionis, aut in eo emissa professionis, seu cujusvis consuetudinis Fratres Clericos ejusdem Ordinis in quibusvis functionibus, tam publicis, quam privatis praecedere, & ne quicumque Superiores ejusdem Ordinis id deinceps quoquo modo permittere audeant, vel praesumant, sub excommunicationis poena ipso facto per contrafacientes incurrenda, apostolica auctoritate tenore presentium statuimus, ordinamus, & prohibemus.

Decretum irritans.

§. 3. Decernentes presentes literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, & ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, in vio-

inviolabiliter observari debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogat.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis apostolicis eidem Ordini, illiusque Superioribus, Fratribus, & personis sub quibusvis verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, in contrarium premissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam pro illorum sufficienti derogatione, specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores presentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis aliis in suo robore permansuris, ad premissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis etiam mandat.

§. 5. Volumus autem, quod presentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis eadem prorsus adhibeatur fides, quae adhiberetur presentibus, si fidenter exhibita, vel ostensa.

Datum die 17. Novem. 1642. An. XX.

Datum Romae apud S. Petrum, sub Anulo Piscatoris, die 17. Novembris 1642. Pontificatus Nostri Anno Vigesimo.

DCCXXV.

Quod Electiones Proministrorum Custodum, & Guardianorum Ordinis Fratrum Minorum de Observantia, ac Reformatorum Cismontanae Familiae, extra Capitulum fiant per suffragia secreta, & ballottaciones.

Quia in sequenti Constit. nulla fit mentio de Commissario ad Comitatus generalia mittendo, Sac. Congreg. Episcoporum, & Regularium die 27. Januarii 1645. per suum Decretum statuit ipsum eligendum esse per sobedulas, & vota secreta, ac per pluralitatem votorum, nemine proponente, & ita semper servari mandavit in omnibus Provinciis Reformatorum.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Religiosos viros, qui abnegantes semetipsos, ut facerent voluntatem Domini. Bull. Rom. Tom. VI. Par. II.

ni, suam fregerunt, sicuti peculiaribus hujus Sanctae Sedis favoribus, & gratis dignos existimamus, ita ad circumpectam illius providentiam pertinere dignoscimus, ea sedulo statuere, atque ordinare, quibus Religiosi ipsi, qui in ea, quam singulari divinae benedictionis praesidio ingressi sunt, via digne ambulantes, amplioribus in dies coram oculis Domini proficiant incrementis.

Concedit prout in Rub.

§. 1. Hinc est, quod Nos dilectorum filiorum Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum pro paterno, quo eos prosequimur, charitatis affectu, statui, & felici gubernio consulere. eisque specialem gratiam facere volentes, supplicationibus dilecti filii Fabii Papazoni Commissarii generalis Curiae ejusdem Ordinis Nobis super hoc humiliter porrectis inclinatis, ut de cetero omnes, & singula electiones, tam Ministrorum, Provincialium, & Custodum, quam Guardianorum dicti Ordinis per suffragia secreta, & ballottaciones fiant, & in paritate suffragiorum, Praesidens electionibus hujusmodi votum, sive suffragium decisivum habeat.

Fiat compilatio ad aliam Familiam.

§. 2. Praeterea, ut postquam statuta generalia dicti Ordinis in unum volumen copiolata, & typis edita, & revisa, & approbata per Sedem Apostolicam fuerint, nulla alia ab inde in futurum statuta, seu Constitutiones in familia Cismontana ejusdem Ordinis fieri, seu condi possint, sed praedicta generalia statuta, postquam, ut praefertur, revisa, & approbata, per dictam sedem, fuerint, imposterum servari debeant.

Pro transitu ad aliam Familiam.

§. 3. Ad haec ut de cetero fratribus de familia nuncupatis dicti Ordinis transitus ad Fratres Reformatos ejusdem Ordinis non concedatur, nisi in capitulis, Cseu Congregationibus Provincialibus cum consensu utriusque Ministri Provincialis, vel Ministri Generalis, & quod eos, qui a Fratribus Reformatis hujusmodi ad illos de Familia transire voluerint, fel. recordationis Clementis VIII. & Pauli V. Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum, ac nostrorum in simili forma brevis hac super re alias emanatarum literarum forma omnino servetur, apostolica auctoritate tenore presentium statuimus, mandamus, & ordinamus.

Concedit facultates Penit. Confessoris Portuanculae.

§. 4. Demum, ut Fratres ejusdem Ordinis ad audiendas Christianidelium confessiones aliis approbati, omnibus, & singulis facultatibus Penitentiariis Apostolicis in hac Alma Urbe Nostra concessis circa administrationem Sacramenti Penitentiae, in Ecclesia Sanctae Mariae Angelorum nuncupatae, ejusdem Ordinis prope Assisium, quotannis die secunda Augusti, qua festum solenne in dicto ordine celebrari consuevit dumtaxat uti possint, eisdem auctoritate, & tenore concedimus.

Decretum irritans.

§. 5. Decernentes presentes literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, ad quos spectat.